

Cum vero & reliquorum satellitum eclipses eundem usum Geographicum præstare possent, Cel. Dn. de l'Isle, anno præterlapso mihi Calculum eclipsium secundi, tertii & quarti satellitis transmisit, ad meridianum Parisiensem supputatum, ab initio Augusti ad finem anni 1728, seu potius ad  $\text{♁} \text{♂}$ , quæ accidit Die 22 Dec. Hunc calculum etiam insertum invenio Novis Literariis Germanicis, quæ Lipsiæ eduntur, Num. LXXX. ejusdem anni 1728. p. 765.

Postea Cl. Dn. D. Weidlerus, Professor Matheseos Wittebergenfis meritisimus, mecum communicavit Calculum eclipsium trium exteriorum satellitum Jovis, à Cel. Dn. Maraldo ad meridianum Parisiensem supputatum, ab initio Anni 1729 usque in æstatem ejusdem anni, quo tempore Jupiter radiis solaribus abscondebatur. Et idem Calculus impressus exhibetur in Novis literariis anni 1728. Num. CV. pag. 1022. seqq.

Cum mihi itaque aliquot harum eclipsium observare contigerit, eas observationes ob diversas rationes imprimendas judicavi, & ut eas cum Astronomis & Observatoribus cœlestibus facilius communicare possem; præsertim cum usus geographicus harum observationum postulet, ut eæ, quæ in diversis locis simul sunt observatæ, inter se conferantur.

## Eclipses primi Satellitis Jovis.

I. Anno 1728. Die 3 Octobris vesperi Jovem non nimium supra Horizontem elevatum, per tubum 18 pedum, à celebri Optico, Josepho Campani, confectum, observavi, ut Immerisionem primi Satellitis Jovis annotarem. Jupiter nondum se ex vaporibus nebulosis, quæ circa Horizontem esse solent, penitus extricaverat, quare justum tempus immerisionis difficulter observari potuit.

	Temp. ver.
Satelles I. adhuc bene conspicuus	H / //
Satelles vix conspicuus	10. 11. 8.
Satellitem amplius conspicere nequeo	10. 11. 55.
	* 10. 12. 55.

Tempus ultimo notatum pro vero tempore immerisionis totalis satellitis primi in umbram habui.

II. An-